

Conclusio prima. Natus non erit sine fratribus, id arguit cuspi domus tertiae salua, & signum multorum filiorum, & dominus eius Mars, ac pars quoque fratrum salua.

Conclusio secunda. Paucitatem tamen eorum arguunt signa sterilia, in quibus Mars, Iupiter, & pars fratrum collocantur. Item Mercurius dominus partis & loci Iouis, & Sol horum almuten in signis paucorum. Idem quoque attestantur oppositus Saturni, & quadratus Solis ad decimam domum.

Conclusio tertia. Credo duos fratres habiturum, quia duo planetae, scilicet Mars & Sol ex signis masculinis, partem fratrum in signo masculino aspiciunt. Huic rei quoque testimonium adiungitur, quod Iupiter & Luna radios suos in cuspi domus tertiae domus proijciunt. Item inter patrem & dominum suum, sunt duo signa & unus planeta. Denique Iupiter masculinus radio quadrato medium caeli pulsans, unum poterit fratrem adijcere, uerum hoc nato minus potentem, quod ex quadrato fiat applicatio. Idem quoque raram innuit inter eos concordiam. Huic etiam Venus prima domina triplicitatis huius domus retrograda concordare uidetur.

Conclusio quarta. Fratribus ante ipsum genitis, breuem ac debilem uitam portendit debilitas & retrogradatio Veneris primae dominae triplicitatis huius domus.

Conclusio quinta. Reliqui, & eo minores, melioris status atque fortitudinis erunt. Id declaratur per Martem & Lunam, ac reliquos dominos triplicitatis, qui melioris esse sunt in figura.

Conclusio sexta. Inter hos quoque discordia incidet. Nam significatores eorum Luna & Mars quadrato se aspiciunt, Veruntamen receptio Lunae & Martis, faciet hoc significatum remissius.

Conclusio septima. Natus uidebit mortem suorum fratrum, Nam signum tertiae & octavae domorum, sunt domus unius planetae.

De natis masculis uel foeminis.

FX duabus figuris, conceptionis scilicet & natiuitatis possumus cognoscere sexum nati, & hoc ex tribus locis, scilicet Solis, Lunae, & ascendentis, & ex planetis gubernatoribus illorum locorum. Nam si maior pars illorum fuerint masculini, natus erit masculus. Certum enim est quod hi, uel maior pars eorum tempore conceptionis dominium obtinentes, fuerint masculini, Nam tempus conceptionis habet conuenientiam cum tempore natiuitatis. Si uero praedicta loca & gubernatores eorum, uel maior pars eorum fuerint signa foeminina, erit foemella. Si autem tot fuerint masculini quot foeminini, & Venus dominium obtinuerit, erit hermaphroditus. Haec Ptolemaeus.

Si plures planetae, praesertim luminaria & ascendens fuerint in signis & gradibus masculinis, natus erit masculus. In foemininis uero, foemella. Vel foemella habens plures planetas in signis masculinis, erit uirago. Masculus uero habens planetas in foemininis signis, erit effoeminatus.

Exemplum propositae geniturae.

Natum futurum masculum ostendebant Sol in masculino signo, Luna a Sole orientalis, Iupiter in ascendente orientalis, Mars Almuten illorum locorum in masculino signo. Et quia haec omnia sunt in signis unius figurae, significant natum solum sine alio.

N ij Aries